



*Cum beneficiorum in Scholam Thomanam  
ab Amplissimo Ordine collatorum mentio  
in hac ad illum epistola facta sit; subiicere  
hic placuit, quo ritu, qua formula ipsum  
nouum aedificium Scholae inauguratum  
et nobis dedicatumque sit; quod institu-  
tum non magis reprehendetur, spero,  
quam Terentio praefixa Doctorum Theo-  
logiae renunciatio: nisi quod a Richardi  
Bentleii ingenio profecta nusquam non  
recte leguntur, nostra forte plane debe-  
bant contineri.*



**F**austus huic scholae dies hodiernus est,  
& candidissima merito in fastis nostris  
nota insigniendus: non solum quod  
Bonifacii \* memoriam reducit, viri sancti,  
quo coetus atque conciones per Germaniam  
nostram habente, pagana superstitione profili-  
gata, & nomen certe Christi, cum Euangelii  
qualicunque notitia, ad maiores nostros pro-

) 5      pagina

---

\* Acta res a. d. V. Iun. CIO CCC X XXII

pagatum est: non ob ipsam solum celebritatem, cui eum destinauit, quo maiorem, sibi quidem propriam, non vidit, a quo tempore schola Thomana esse coepit, verum hanc in primis ob causam, quod exornat hanc ipsam celebritatem summorum hominum praesentia, quos tanquam fausta quaedam nobis sidera, & certissima futurae felicitatis auguria, laeti alacresque veneramur.

Saluete, Viri illustres & Magnifici,  
Summe Reuerendi, Excellentissimi, Con-  
sultissimi, Amplissimi & reliqui, suis  
quisque nominibus & honoribus con-  
decoratisim &c.

Saluete, inquam, & saepe agite quod agitis, nec dubitate, quin magna cum scholae & reip. adeo utilitate studium vestrum coniunctum sit futurum.

Postulabat quidem dignitas vestra, & exquisitum de his etiam studiis, quae in schola tractari debent, iudicium, ut boni oratores, aut certe probabiles in concionem istam producerentur. Sed speramus etiam ab aequitate vestra, futurum, ut non quid debeat fieri, sed quid possit, cogitetis; eo praefertim tempore, cum paulo ante a nobis discesserunt unus itemque alter, qui maturitatem qualcumque erant affecuti, eaque plerorumque qui dicent aetate, quae iam obduruuisse aliquantum videtur ad ea, sine quibus nihil in arte dicendi valde laudabile effici posse certum est, ne quid de me dicam, quem intempestiuam quaedam atque nimia verecundia, a iuu-

intempestiuam inde debet  
intempestiuam finiri  
item debetur operari  
inde melior hunc  
eum parte, fac  
deum efflorefcat.  
hunc videtur qua  
dei celebritate, in  
beneficio, in  
sequitatem anim  
tiam, virtutes ve  
dicium, in conf  
notri, & quas  
modestiam cum  
candida fiducia  
probare.

Hoc oratione  
Thomana  
Amplissimi  
venerandi

Nunc ve  
nitus, non  
tonidem, por  
menter opus  
rum res, sed  
penogradia) p  
nitum eum, o  
modo animu  
verbum male  
alium, ne

iuuentute inde debilitauit, & manum certe  
intra togam sinumque continere coëgit. Cae-  
terum dabitur opera a me & collegis, vt sub-  
inde me ior laetiorque rerum nostrarum, hac  
etiam parte, facies, successum adspirante  
Deo, efflorescat.

Iam audite quaeſo, A. A. dicturos de huius  
diei celebritate, hoc eſt de Ampl. Senatus  
beneficio, iuuenes noſtrōs, & ita audite, vt  
aequitatem animi, humanitatem, beneuolen-  
tiā, virtutes vestrās, potius quam ſubtile iu-  
diciū, in consilium adhibeatis. Prodite, o  
noſtri, & quas commendauī vobis virtutes,  
modestiam cum alacritate, temperatam vere-  
cundia fiduciam, ſplendidissimo auditorio  
probate.

\* \* \*

*Hic orationes aliquot habitae ſunt a Scholae  
Thomanae alumnis, quibus beneficium  
Ampliſſimi Ordinis, quantum fieri potuit,  
ornaretur.*

\* \* \*

Nunc vero eſt cum mihi dari velim diu-  
nitus, non linguas quidem centum, aut ora-  
totidem, poetarum votum, quo non vehe-  
menter opus eſt, ( paucorum enim verbo-  
rum res, ſed momenti ſane maximi, ſuperēſt  
peragenda ) ſed dari mihi velim diuinitus ſpi-  
ritum eum, qui coeleſti afflatus numine, non  
modo animum linguamque regat, ne quod  
verbum male ominatum, ne quod a tanta re  
alienum, ne indignum tam ſplendido con-  
felli,

fessu, mihi excidat, verum qui vaticiniorum etiam vim his, quae dicturus sum, tribuat.

Audi, Pater supreme, qui audis videsque omnia, audi, & numen nutumque diuinum his, quae dicentur, annue.

Audite viri illustri atque magnifica dignitate, excellentissimis meritis, venerabili auctoritate conspicui, auctores huius muneris amabiles, testes huius actionis atque pietatis nostrae grauissimi; audite iucundissimi hospites, tu in primis audi, cura nostra atque amor, Thomana iuuentus.

Hanc domum, Deo bene iuuante, pacem praefante ciuibus suis & incolumitatem Potentissimo Poloniarum Rege, & Duce Electore Saxoniae FRIDERICO AVGUSTO, instaurauit, exaedificauit, ornavit, instruxit, Amplissimus ciuitatis Lipsiensis Senatus, ut hospitium praebeat omni, quod futurum est, aeuo, scholae bonarum literarum, artis musicae, & aliorum, quibus aegre humanior vita caret, probitatis, sapientiae, pietatis, virtutis omnis, felicitatis, magistrorum: vt sit spiritus ipsius sancti templum & sancta officina.

Hic persugium honestae paupertati aperit Amplissimus Ordo, si ea adiunctam sibi habeat sororem Bonam Mentem, & discendi cupiditatem. Hic ali iubet atque institui, qui nunc sanctissimo beatarum mentium munere, laudandi rerum omnium conditorem & parentem, fungantur, & cantus suavitate animos hominum ad diuinorum rerum meditationem allicant, qui deinde boni viri, & alteri seculo profuturi euadant.

Hinc

Hinc abesse iubet Patronus noster & arceri  
pigritiam, rusticitatem, petulantiam, libidi-  
nem, impietatem: hic tanquam in prytaneo  
aliquo honorem haberi imperat diligentiae,  
doctrinae, musicae arti, modestiae, frugali-  
tati, pietati.

Hic doceri vult cum diligentia, fide, pati-  
entia; hic disci cupide, assidue, fideliter.  
Hic praecipi comiter ac seuere, pareri mo-  
deste atque impigre. Hic bona exempla plus  
valere iubet quam paecepta ac leges; leges  
ac verba plus quam poenas; hic caueri deli-  
cta potius, quam puniri.

In hoc contubernio habitatum veni, Con-  
cordia, Salus, Bone Euentus: lites, morbi,  
calamitas, mala omnia, exeste.

Hanc tu dedicationis huius legem, Aeterne  
Pater, tuo numine iube atque sancti, & clara  
nobis tuae in nos propitiae voluntatis signa  
edito, FRIDERICI AVG VSTI tuae  
inter nos maiestatis vicarii, totiusque Sere-  
nissimae domus regnaticis vitam & felicita-  
tem, Amplissimi Ordinis incolumitatem, in-  
concussum ciuitatis statum, & eorum quae  
bona in hac schola sunt, incrementa celer-  
rima.



Transactum est, Patroni, Fautores, Hospi-  
tes, quod agendum suscepimus. Ornatis,  
Magnifice Consul, & caeteri ex Amplissimo  
Ordine, Viri Clarissimi Excellentissimique,  
orna-

ornastis munus vestrum, illudque honorificentissima nobis praesentia vestra commendaſtis egregie.

Si quid accedere poterat vestræ in hanc scholam liberalitati, ille profecto quaſi cumulus additus est, quod in conspectu vestro declarare licuit, quantum debere illi videamur; quod inaugurationi huic atque dedicationi auctoritatem accommodare vestrā, & non displicere vobis, quae in schola vestrā agantur, luculento indicio significare voluistis. Nostrum est, quicunque in hac schola vel administri ſumus beneficiorum vestrorum, vel participes, nihil facere reliqui, vt appareat, non apud ingratos perire vestrā bene factā; verum illud quam poteſt enixiſime a nobis agi, vt fructum aliquando vos vestrīque liberi videatis vestrorum in hanc scholam meritorum, profectos ex illa viros probitate & doctrina praeſtantes, crescentemque per illos, quam ſpectatis vnicē, publicam felicitatem!

Vobis etiam, reliqui auditores, nominibus, muneribusque & meritis quisque ſuis ornatissimi, hospites iucundissimi, gratiae a nobis debentur maximae. Si non displicui-  
mus omnino, scholae noſtræ fauere pergit,  
eiusque fauoris craſtina luce, quotquot  
grauioribus non impedimini, ſigni-  
ficationem edite.



LECTO-